

Qk. 285.

v Bernstein

Za
2170

Epithalamium

X 158033

36

N V P T I I S A N

T I Q V I S S. G E N E R I S

S P L E N D O R E E T D I G N I T A

te, doctrinaq; & virtute ornatiss. nobilissimiq; viri,

IOHANNIS SIGISMUNDI A BERN

STEIN in Bernclaus;

ET

C A S T I S S I M Æ N O

B I L I S S I M Æ Q V E V I R G I N I S A N N Æ,

virinobilis, M A T E R N I A B E R N S T E I N

filia, felicis ominis & gratulationis ergo

scriptum à

M. Michaeli Boiemo Pirnensi.

D R E S D A E

Imprimebat Matthæus Stœckel,

Anno Salutis nostræ

M. D. LXXVII.

BIBLIOTHECA
PILNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.



Mensis erat, gelidæ quo pisces, proximus arcto
 Ille, noto hic, pluuias australi à parte cienti,
 Excipiunt solem: dulci consorte cubilis
 Bernstenio orbato, cùm luctum irata dederunt
 Numina, sed nostræ non vnquam inimica saluti:
 Mensis adest idem, & viduo decedere lecto
 Bernstenium, versis fata in contraria fati
 Imperat, & damnum non deteriore resarcit
 Coniuge, sic iustis moderantibus omnia diuis.
 Vesper adest, primos & dudum iungere somnos
 Concubitusq; parant, amplexu læta Iohannem
 Anna Sigismundum, cognato sanguine creta,
 Exceptura venit: connubia rite sacerdos
 Sancit amborum, pueriq; ex more iugales
 Concutiunt tædas, & hymen, Hymenæe, frequentant,
 Hesperus exoritur, flammisq; coruscat, & ore,
 Non illo quisquam iucundior explicat ignes
 Inter vtrunq; polum, connubia namq; parentum
 Decreto sancita, assensu pacta mariti,
 Luce sua firmat, verasq; in pectore flammam
 Ventilat, æternis nectens duo pectora vinculis.
 Hunc Venus ante alios astrorum diligit ignes,
 Hesperus exoritur, lecto iungentur eodem,
 Nympharum stipante choro, plausumq; mouente,
 Virgo, manu deducta suorum, & sponsus: Amanti
 Hesperus est sponsus, sponsa est Venus aurea sponso.
 Ecce precaturæ castis felicia nuptis,
 Quis pudor est cordi, & tædarum credita cura,
 Diuæ adiere thorum, quas inter amabilis ore,
 Blanda oculis, comi vultum grauitate serenans,
 Sic pietas carmen prior est exorsa iugale.

A 2

PIE

P I E T A S.

A Duocor tædis pietas, vocata
Iure: nam nostro nihil est beatum,
Nil habet læti genialis ardor,

Absq; fauore.

Æstuant flammis animi, ruentes
Impetu cæco, super & iugandis
Fœminis decreta D E I virisq;

Vertere tentant.

Hinc domus stupris violantur, inde
In genus clades, populumq; manat,
Eq; probroso patriæ educantur

Semine ciues,

Et fides & pax & amor pudorq;
Aureus, virtusq; repulsa, lecto
Exulat tali: impietas malorum

Causa caputq; est.

Ast meo si quas placidè reuiso
Nuptias vultu, nihil his acerbi est:
Si quid est durum, leue fit ferendo

Numine nostro.

Integro vitæ scelerisq; puro,
Et Deum verè, sine fraude, amanti
Obuenit coniunx bona: amans pudoris

Atq; mariti.

Sic domus curis vacua expeditis
Ridet, vt cœlum radijs feremat
Phœbus, & lucem reteggit, tenebrasq;

Æthere pellit.

Nusquam ego vobis abero, nec vsquam
Omnibus sperata, beatitudo:
Si qua crux, fiet superata sacrâ

Mollior aura,

N **C**A**S**T**I**T**A**S.
Non sic perennes Ætna vomit globos,
Fumumue; habenæ verberare nec volat
Turbo actus, incensî furore
Ut iuuenisq; puellaq; ardet:
Ætas sementem, vi propria calens,
Postquam affecuta est: sæuit in intimis
Ignis medullis, nec quietem
Nocte dieq; capit libido.
Paucis deorum munere contigit,
Paucis, vt extra coniugij metas
Non inquinarentur, nec intra
Conciperent animos calores.
Huic rerum vt autor consuleret malo,
Cæcos amores lege cohercuit
Certa, iubens binos in vna
Viuerè carne, marem & puellam.
Vita senescant cælibe, vota q;
Mentita iactent, chrisma q;, virgines,
Vix virgines, frontem notatas
Quas meretrix Babylonica vnxit:
Vruntur ergo, quisnam hominem exuat:
Vsti q;, Scyllam dum fugiunt, cadunt
Cæcam in Charybdim, virgines q;
Corpore, pectora polluuntur.
In coniugatis virginitas, D E I
Si sint amantes, tuta q; & optima est:
Et mille virtutes recondit
Coniugium, vicij & obstat.
Castè peractæ pignora vos manent
Certò iuuentæ, quæ referant suos
Virtute maiores, parentem
Et facie referant vtriq;

A M O R.

A Vrae particulam DEVS supernæ,
Castus rerum opifex, suiq; amoris
Scintillas homini indidit pudicas,
Fœdus coniugiale, Amorq; , vt esset
Signum, quo pater, è parente natus
Æternoq; renunciat igni
Sacri flaminis: & pater piorum
Amplectatur amore, filiusq;
Gentem: quos cieat piorum
Motus pectore Spiritus, supremi
Patris feruidus ignis atq; nati.
Hinc est, quòd pietate colligante
Mentes, mutuus excitatur ardor
Castis pectoribus. Procul iubemus
A nostris Cynicos abesse tædis,
Reginamq; Paphi, Gnidiq; furti
Obscœni artificem, stupri magistram,
Nam flammæ ea ventilat nefandas,
Inspiratq; Acheronte virus haustum,
Incautis animis, vt vstulentur
Hic flammis tacitè, nec acquiescant,
Quas post experientur, vstulandi
In Stygis rutilo, absq; fine, fundo.
At quos copulat, haustus ille cœlo
Atq; auctus pietate Amor, probatur
Auctori, generi facitq; nostro
Lusum, delicias, amœnitates,
Curarum eluere efficax amara.
Quæ tellus gremio fouet benigno,

Æther

Æther sustinet, aura fert, profundus
Pontus educat, occulunt latebræ
Sylvarum: stimulos habent amoris,
Et sexu generant utroque fetus,
Flores (si dubitas, adito prata)
Fœmellasque maresque terra, quanquam
Non desiderium evidens in herbis
Insit, arboribusque, copulandi
Sese, semine viribusque iunctis,
Gignendi que novum genus recentis
Stirpis, quo reparent sui ruinam,
Cernas æthereis faces in oris,
Illas lucidulas, nitore plenas,
Has maris speciem referre, at illas
Fœmellæ: cœunt feræ, nec illum
Pisces dissimulant mari calorem,
Et lætamen ager requirit, unde
Vires ille capit novas, segesque
Sulcis lætior exerit cacumen.
Non, cui mens ratioque cœlo ab ipso est,
Instauraret homo sui ruinam?
Ætas dum sinit & vigor iuventæ,
Alter alterius quiescat vlnis,
Lætas sumite basiationes,
Et lætas date basiationes.
Sponsa est vera Venus suo marito:
Sponsus lux domui, suæque nuptæ,
Et qui numinis excitatur ardor
Sacri viribus, usque & usque vivat.

FIDES

F I D E S.

O Ter & quater thorum
Illum beatum, quo fidelis vxor
Virq; copulatus est,
Quid sanctius, quid firmitus sit vsquam?
Sive fors tonet mala,
Est alter alteri mali leuamen:
Seu secunda rideat,
Vsum bonorum colligunt vterq;
Iactitant suos nimis,
Famaq; vates consecrant perenni,
Dulci quis fuit sui
Adire mortem pro salute amici:
Plura, si libet, tibi
Exempla casti coniuges ministrant
Firmiore copula
Et arctiore vinculo ligati,
Vana non opinio,
Non gloriae fucus caducae inanis,
Sancit sacrum thorum:
Sed summus orbis ille rex patentis,
Foedus insolubile
Verbo potente sanxit, atq; rebus
Semina eius omnibus
Inseuit, & vires dedit latentes,
Sexus alter alterum
Ut appetat, prolesq; procreetur:
Quam beatus ille vir,
Qui coniugem inuenit verè fidelem:
Quam

Quàm beata foemina,
Quæ coniugem inuenit verè fidelem,
Mensa, lectus, supellex,
Communis illis, liberiq; dulces,
Parta per virum foris
Vxor domi pudica condit, inq;
(Vita multa postulat)
Vsum reseruat & necessitatem,
Fida vitæ ad vltimam
Horam, recusat ferre nil, magisq;
Si necesse fortè sit,
Diram eligat coniunx vterq; mortem,
Quàm fidem semel datam
Non soluat: vna facti enim caro sunt,
Instar arboris suum
Miscentis alteri arbori liquorem.
Non tibi recenseo
Corneliam, vel Thuriam, aut Roberti
Illius Britannia
Regis, mariti nobilem veneno:
Quasue vidit alluens
Gribsteniæ arcem cum stupore, Zopa:
Quasue coniuges Nicer
Ceruice vidit dulce onus ferentes
Cum suo periculo:
Sententiæ testis meæ es futurus,
Si priùs D E V M inuoces,
Vitaq; honesta, non traharis auro
Motibusue Gallicis,
I nunc & annos more bestiarum
Solutus exige, & fidem
Extra thorum sponde tibi perennem.

B

CON

CONCORDIA.

Omnia quæ liquido fullescere cernis Olympo,
 Non dubia cursum sidera lege tenent,
 Solis ad occasum roseo voluuntur ab ortu,
 Fixa, neq; hoc cursu certior esse potest,
 Solis ab occasu roseum voluuntur ad ortum,
 Nec tamen ambiguus, irrequieta, vijs.
 Illa nec à motu tardata, nec illa feruntur
 Ambiguè: certus sidera motus habet.
 Sed varios gignit discors concordia motus,
 Diuersasq; parit temporis ipsa vices.
 Sunt diuersa quidem genitalia corpora rerum,
 Vnumquodq; suo, dissociata, loco:
 His calor, his frigus dominatur: & humida cum sint
 Illa magis, magis & sunt calida illa magis.
 Ex tamen his mundus constat, neq; dispar ab vlla
 Parte sui, minus vnicuiq; suum est.
 Sol oculus mundi cœlum qui lampade lustrat,
 Eoiq; maris littus & occidui,
 Ætheris in media sedem regione locauit,
 Cætera ad motum temperat astra suum.
 Cynthia cum Soli congressa est, cornua rursus
 Crescendo reparat lumine adaucta nouo,
 Et solida demum tunc spectat imagine terras,
 Oppositos Soli cum moderatur equos.
 Tunc domus est felix, & ab omni parte beatum
 Coniugium, nec quid, quod vereatur, habet,

Cum

Cum ligat vnanimes felix Concordia mentes,
Iungit & inuicto foedere dulcis amor,
Cum tenet imperium iusto moderamine & equo,
Omnia nec rigido iure maritus agit,
Sponte sed imperium coniux, natiq; facessunt,
Certat & officium quisq; subire suum,
Demeruisse sui si comparis vxor amorem
Obsequijs, sed vir non nisi iusta, velit,
Quodq; maritus, idem prudens quoq; sentiat vxor,
Annè hoc certamen pulchrius esse queat?
Dulcis vbi stabilem fixit concordia sedem,
Nescio quod credam numen inesse loco,
Hostibus inde dolor, sed amicis inde redundat
Læticia, & rerum copia plena fluit.
Optima vindicta est, virtute vlciscier hostes:
Concordis vitæ est filia prosperitas,
Haud secus ac manans oleum de vertice Aronis,
Quo nil nobilius terra Iudæa tulit,
Instaurat mentis vires & corporis omnes,
Languor abit, membris vita vigorq; redit,
Rosæ recens herbas in pristina reddit adustas,
Æstu cum siccam Syrius vrget humum:
Sic & opum floret successibus aucta secundis,
Et vita fruitur, atq; salute domus,
Aurea quam cingit pax & concordia munit,
Sedibus his custos præsidet ipse DEVS.

FORTITVDO NO- BILITATA.

IN sobolem transire solet cum semine virtus,
Namq; aquilas fortes aquilæ, timidæq; columbæ
Imbelles generant, naturæ lege, columbas.
Bernstenij pacis pariter, belliq; celebres
Artibus, & dextra prompti, ingenioq; sagaces,
Dissimilesne sui generent? Ab origine gentem
Si repetas prima, multos præstantibus ausis
Armorum insignes, nulli virtute secundos,
Doctrina inuenies multos, mitraq; decoros
Purpurea, dignis quos laurus honoribus, ipsis
Æquauit superis, celsoq; inuexit olympo.
Heluetiæ tellus, horrentibus inuia faxis,
Magnorumq; altrix, pronorum in fata, virorum,
Bernsteniæ primum dedit incunabula genti,
Effigiemq; vrsæ, villis rictuq; tremendæ
Horrendo, arrectis ferientis & vnguibus auras,
Desuper incumbit gemmis, auroq; corona
Nobilis, & clypeos & prisca insignia obumbrat.
Interea multos sol circumuoluitur annos,
Cum vel seditio patrijs excedere terris,
Sive fames, belli studiumue, aut cognita virtus
Principibus, largè precio inuitantibus vltro,
Cogeret, & sedem Boiemis ponere campis;
Misniacis tandem fato consedit in aruis
Gens ea, nec precio caruit nec munere virtus.
Ecce autem primos inter se nobilis infert
Albertus, præclarus auis, animoq; feroci,
(Scire vetant alios veterum monumenta librorum,
Nam

Nam nimis est, vatum nisi cura laborq; resistat,
 Inuidiosa bonis, famæq; infesta vetustas)
 Non alius quisquam sese illi impunè tulisset
 Obuius armato, seu cùm certamine equestri
 Luderet, aut gladio cinctus ferretur in hostem,
 Aureas ostentans phaleras, calcaria & ensem.
 Aspice vt horrendumq; iubis fuluisq; leonem
 Vnguibus inuadat (nomen nescitur) & escam
 Auferat: obuoluens læuam velamine, & ori
 Intentans dextra gladium: stupet ille, pedemq;
 Fert retro, & victus consueto includitur antro.
 Conserit hîc pugnas, cristatus casside, regis
 Mathiæ auspicijs, & equo fugientibus instat
 Tartariæ populis Guilielmus, & impiger hastam
 Torquet in aduersos, & prælia feruidus vrget.
 Sed quia Mars sibi quæque metit fortissima, telo
 Oppetit, & vitam præclaro funere claudit.
 Hic claua armati præacuta, vncaq; securi
 Inuadunt Ziscæ dictam de nomine gentem
 Bernstenij fratres, fortissima pectora, trini,
 Castra volant circum, sociosq; hortantur in arma,
 Præcipitesq; cadunt, certaminis Austia tanti
 Seruat adhuc famam & cladis monumenta nefandæ.
 Parte alia Vuitichum, dijs & virtute, Vuigoldus
 Æqua, sternit humi, fuluaq; extendit arena,
 Frendentem Vuitichum, multa qui cæde cruentus
 Infestabat agros, & tristi pallida tabo
 Corpora suspendens atris de postibus, omnes
 Terrebat, lateq; metu compleuerat vrbes.
 Hunc insperata deprænsus in luce Vuigoldus
 (Nam ferme in latebris, inter spelæa ferarum
 Degit, in insidijs) vastata rupe peremit.

B 3

Hi

Hi verò, quantum instar in ipsis, fronte relucet
Quantus honos, animo prudentia quanta? Nepotes
Reinholdi gemini, geminis à fratribus orti,
Tertius at pronepos, sacri tria lumina iuris,
Insignes lauro, mitra, cocciq; colore.
Quartus honore pari, paribusq; insignibus illos
Consequitur Petrus: Tot gens decora edidit vna.
Doctrina eximio patri se proximus infert
Natus Iohannes, longa experientia & vsus
Quem docuit, multaq; insignem reddidit aulæ
Consijs, gratumq; Duci mens prouida fecit.
Hac vehitur naui, Solymanq; & nobile bustum
Iohannes CHRISTI curuato poplite adorat,
Principis Alberti ductu: sed fata negarunt
In patriam reditum, Cyprus cum nomine seruat
Ossa equitis sacri, & partos testatur honores.
Cernitis hinc magno misceri murmure pontum,
Apparent tabulæ nantes in gurgite vasto,
Hac sponsæ, hac sponsi genitor, modò ad æthera sursum
Tolluntur, modò subsidunt in tartara naues,
Vix ægre Libycis infigitur anchora arenis,
Multa mari passis, restabant plurima, tela,
Imber, dira fames, miseranda vel hostibus ipsis:
Vicit iter durum virtus, patiensq; pericli
Gloria, quæ duro capit incrementa labore,
Indigna in primæ sublatus flore iuuentæ
Morte Henricus obit, cui toxica præbuit hostis,
Hostis nobilium stirpem qui iactat auorum,
Heu scelus indignum Germano nomine, auisq;
Iactatus varijs fortunæ casibus, huius
Filius: at lætis nati successibus vsi.
Hos inter famam factis extendit, & armis

Christo

Christophorus, Christi tumulum, terrasq; subiuit
Iudæas, & post, iam religione solutus,
Fortiter hinc Gallis instat trepidantibus, urbem
Parthenopen iuxta, regnoq; exturbat opimo.
Hac Frisos premit, & pulcro certamine vincit:
Parte alia, vtrices concepit pectore flammæ,
Boiemosq; infestat agros, & legibus æquis
Componit pacem, pace utilis, utilis armis,
Nec minor armorum studijs, quæ prima iuuenta
Dedita tota fuit, nec laude Georgius illo
Inferior, Belgas infestis territat hastis.
Hæc igitur quoties maiorum exempla nepotes
Aspicient, galeamq; & plena insignia factis
Nobilibus, celsum tangentibus æthera famâ,
Ad decus & laudem veterum aspirare parentum,
Et quò fas homini, nitæ virtute iuuabit.
Inde pater sponsi, Libycis qui miles in oris
Multa tulit, tanti ne nescia nominis esset
Africa, nec Rhenus, nec fortis nota Philippi
Aula Palatini, duce quo trux vrbe Vienna
Discessit Turca, & victum se fassus abiuit.
Nec non & veteres illum nouere Borussi,
Saxoniamq; ducum domui, prudentia, rerum
Vfus, dexteritas patuit, probitasq; probata est,
Casibus in dubijs, animusq; in pectore præsens.
Hinc pater occurret sponsæ Maternus, eodem
Sanguine, Bernsteniæ gentis de semine, cuius
Militiæq; fuit virtus spectata, domiq;
Degenerem patri non vlla redarguit ætas
Sanguinis, immemorem à magna stirpe profectæ
Laudis, honestatisq;, & libertatis auitæ.
Ætate in viridi Dux Saxo Georgius aula

Exceptum fouit, primis formauit & annis,
Principis & Bauari meruit virtute fauorem,
Vidit & in dubio belli certamine tellus
Italiae, & Libye vidit, Maurusq; perustus
Solibus, adducto qui curuat cornua neruo:
Mauricijq; frequens turmas ductantis equestres
Inuictamq; manum, ductu sese intulit hosti,
Conseruitq; manus, pectusq; fidele probauit
Principibus, quorum sedes Thuringia, multis
Demissis magni Vuidechindi à stemmate seclis.
Vos verò, ô iuuenes, vos ô quibus integer æui
Sanguis adhuc, diuùm quibus & clementia tantum
Indulget, vera si mente quid auguror, isthac
Tæda dabit sobolem maiorum in nomen ituram.
Salue virginei, virgo, illibate pudoris
Flos salue; auspicio dñj gaudia vestra beato
Fortunent, cursuq; sinant succedere fausto.
Certatim sua dona tibi omnes dñjq; deaq;
Attribuere, tibi puerili mater ab æuo,
Spigeliae stirpis mater, sexusq; corona
Foeminei, infudit pietatis semina, mentem
Incendens verbi cœlestis amore tenellam,
Ipsa suis, teneris te conformauit ad vnguem
Moribus: inde DEI reuerentia, mensq; dolosa
Fraude carens, fucosq;, domus & cura tuendæ.
Quale serenato purum iubar æthere tollit
Cynthia, cum solida templatur imagine terras,
Hinc atque hinc aliæ glomerantur, luce minores,
Ordine non dubio stellæ, quas illa, sequentes
Sponte, trahit, totumq; illustrat lumine mundum:
Sic reliquis præstat forma & virtute puellis.
Sicut ebur si quis violarit murice tinctum,

Miscue

Miscueritue rosis candentia lilia rubris:
Candida sic roseo lucet suffecta colore,
Nil leuitatis habent ardentia lumina, simplex
Sed grauitas vultum decorat, dulcisq; refulget
Ore pudor, nec quid, quo laudem virgo meretur,
Iudice vel Momo, nil non carpente, requiras.
Salue animi praestans Iuuenis, laetusq;, venustam
Qua solo te digna fuit complectere sponsam,
Haec tibi transacta vera cum laude iuuentae,
Munera fers, & plura feres: haec illa laborum
Praemia sunt, primae latorum tempore vitae.
Te Viadrus vidit, liquidis vberrimis vndis,
Atria vbi fauste doctis extructa Camænis
Præterit, Aonidum gratissimus annis alumnis,
Quiq; Thuringiacos spumante gurgite campos
Sala secat, ripis & Elister gratus amœnis,
Lanus & Hesiacas foecundans flumine valles,
Albisq; arctoos inter celeberrimos annes,
Te fouit, talemq; sibi gratatus alumnus est,
Florentem studijs, Musarum & dotibus auctum,
Seu Latio sermone loqui, seu forte Pelasgo
Sit visum, fuerit iucundis gratia verbis,
Seu libeat Solymæ scrutari oracula linguae,
Te nemo melior, nec parte peritior illa.
Cum vacat, antiquis quæ gesta fuere sub annis
Omnia perquiris, studijsq; indagine certa,
Sicut apïs per prata volans, florentibus herbis
Insidet, & melli quæ conuenientia carpit;
Sed nocitura fauis fugit, auersata venena
Quæ generi humano sint conducentia, quaeris,
Quæ domibus cladem importent, & maxima regna
Pessudent, sacras spolient & honoribus aras,

Hinc


Hinc placidi mores, facilesq; in pectore motus,
Hinc studium veri, reuerentia iuris & æqui:
Quisq; virum decet ornatum virtutibus esse,
Sed satis est, neq; enim virtus præconia captat,
Ipsa sibi merces, & iam languentia somnus
Membra rigat, taciteq; irrepsit sensibus arctis,
Plaustraq; conuerso flectit temone Bootes.
Viuite perpetuis coniuncti nexibus ambo,
Viuite, nec vestros discordia turbet amores.
Ambiat & thalamos nitidis pax aurea pennis,
Aurea pax hominum columen, diuimq; voluptas,
Alter in alterius complexu gaudeat, auras
Inq; vicem captent surgentes corde: Iugalís
Sic coalescet amor, geminoq; in corpore fiet
Vna anima, vna & idem nolensq; volensq; voluntas.
Hoc regnum est verè, in casto regnare cubili:
Qui sapit, hoc cunctis præponit honoribus vnum.
Pignora nec lecti desint, imitanda parentum
Quæ sibi proponant illustria facta, flagrentq;
Virtutis studio, & maiorum vincere certent
Nomina: Quid maius detur tibi, munere diuim?
Vt natos natorum, & qui nascantur ab illis
Cernatis, placidamq; attingat vterq; senectam,
Tristicia expertem, seris & canus ab annis
Latetur, natis longum florentibus: auraq;
Et venti, si quid triste est, conuertat in hostes,



Za 2170 G. K

10





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

v Bernstein

Za
2170

Epithalamium

X 13380.33

36

TIIS AN=

SS. GENERIS
ORE ET DIGNITA-
virtute ornatiss. nobilissimiq; viri,
SIGISMUNDI A BERN-
STEIN in Bernclaus;

ET

ISSIMÆ NO-

QUE VIRGINIS ANNÆ,
ATERNI A BERNSTEIN
s ominus & gratulationis ergo
scriptum à

Mahele Boiemo Pirnensi.

D R E S D A E

obavit Matthæus Stœckel,
Anno Salutis nostræ

D. L X X V I I.

